




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

4450/A

L.LXIII.29

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

2. a 211

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

DE
AQVIS MEDICATIS
AGRI PATAVINI, ET DE
Causis qualitatum quæ eis in sunt,
COMPENDIOLVM.

GREGORIO MORELLO
Medico & Philosopho, Authore.



PATAVII,
Laurentius Pasquatus excudebat
MDLXVII,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

EXCELLENTISSIMO MEDICO, ac Philosopho, Aloysio Bellacato,

GREGORIVS MORELLVS S. P. D.



Vanquam me minimè latet, non paruam librorum copiam, qui de Thermalib. aquis, & Balneis agri Patauini agunt, inueniri: tamen, cum ad ea inuisenda accessissem, rogatus, & ferè impulsus ab Excell. D. Borgarutio à Borgarutiis, ob eius indispositionem, (in hoc enim fatum habuit nimis aduersum) ut quàm breuissimè fieri posset, ipsarum aquarum materiam, qualitatem, & usum perstringerē; non potui ipsi, pro summa beneuolētia, quæ nobiscum intercedit, non morem gerere. Quamobrem, tractatulum hunc de Aquis medicatis agri Patauini conscripsi, quem tibi Excellentissime Bellacate, Medicorum splendor, ac decus, nuncupare decreui, ne absque patrocinio relinqueretur. Nam, quemadmodum te mihi beneficentissimum, ac amantissimi patris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

loco fuisse constat; ita etiam huiusce mei tractatuli acerrimum defensorem fore non dubitaui. Idq; certò scio, quòd ad ipsum tuendum promptiorem, aptioremq. te uno potuissem habere neminem; tum propter animi tui propensionem ad aquas illas medicatas (meritò incredibilis utilitatis, quã ex earum usu Aegrotantes contraxisse perspexisti) tum etiam ob illud præcipuum, quod a summo rerum conditore sortitum es munus, hoc est patrocinium omnium Iuuenum Medicinæ studiosorum, suscipiendi. Paucula igitur hæc in sinu tuo fouere dignaberis, lucubrata his diebus, quibus tua carui consuetudine, dum Balnea à me Laconicè descripta, inuisi. Deus te incolumẽ, felicemq; in Nestoreos conseruet annos. Vale, & me, ut soles, ama. Datum Patauii, Pridie Kal Octobris. MDLXVI.

DE AQVIS MEDICATIS agri Patauini.



CVM hoc ingenio natus fuerim, ut maximo afficiar desiderio, ea scire, quæ scitu dignissima sunt, & utilitatem plurimam afferre possunt, & præsertim rem medicam facientibus, iccirco, dum in florentissima urbe Antenorea, studiorum gratia commorarer; mihi, cum maximo decori, tum non mediocri iuuamento fore duxi, si thermales aquas agri Patauini inuiserem, et earum naturam, ac facultates omnes, ea, qua decet cura, inuestigarem. Qua propter, anno M. D. LXVI. à natiuitate Seruatoris nostri, mēse Septembris, ad thermas ipsas, unà cū Exc. Ioanne Baptista Terzago, Mediolanensi, & Exc. Stephano Politio Siculo, Doctiss. ac nobilissimis uiris, quibus cum mihi maxima inest necessitudo, summa cum uoluptate utrorumq; ad eas accessi, quas omni cura, ac studio, uidimus, degustauimus, olfecimus, ac tetigimus. Primò inuisimus aquas Diuæ Helenæ, hinc deuenimus ad eas, quæ nuncupantur Diui Bartholomæi, postea ad aquas Montis Grotti, inde ad eas Diui Petri, & Montis Orthoni, & tandem ad aquas Aponenses, a quibus exordium sumere decreui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Valle in media, quæ scilicet quintum lapidem distat ab Vrbe Patauina, est locus, qui nuncupatur ἀπόνον, eo quia corporis dolores, aquæ illius sedant, ubi collis est lapidosus, innumerabilibus foraminibus refertus, per quæ scatet aqua, & per canaliculos quosdam à natura factos, fluens, septentrionē uersus, seque in lacunam colligens, balneum Aponense constituit. Ex altero latere, lacuna emittit quosdam riuulos, deueniens ad quasdam domos, solia plurima constituens. ex altera parte defluens aqua illa feruentißima, efficit stillicidia quædam altiora, quædam minus alta; & hæc partim hominibus inseruiunt, partim mulieribus. Ex eadem parte, defluit aqua, quæ Balneum efficit, quod nuncupatur Balneum ægrotorum. Verùm aqua, quæ constituit Balneū illud magnum, unà cum ea, quæ ibi emergit, exiēs per canales ligneos, rotas molendineas euoluit. pluribus in locis huius Balnei sunt fouea, & stuphæ quamplurimæ. Lutum ex hoc Balneo minimè habetur, sed tantum modo in ablutione, & in potu eius aqua ægrotantibus est ex usu. Quantum ad materiam Aponensis aquæ, quatuor fuere sententiæ. quarum prima fuit Montagnanæ, secunda uero Sauonarolæ, tertia Ioannis de Dondis, quarta Falloppii.

Montagnanæ sententia fuit, Aponensem aquā à prædominio esse sulphuream, & aliquid calcis

in se habere. quam sententiam suo comprobat experimento.

Sauonarolæ fuit alia opinio: statuit. n. in hac aqua primò sal, & nitrum esse: secundò alumen: tertiò calcem: quarto sulphur.

Ioannes uerò de Dondis censuit in Aponensi Balneo tantummodo reperiri sal, & gipsum.

Post hos, Falloppius tria ibi esse asseruit; sal copiosum, succum calcarij lapidis, & uaporem sulphureum, & temperaturam eius Balnei esse siccam in secundo intēso, uel in principio tertij gradus, calidam uerò in secundo remisso. i. paulò plus ultra medium primi gradus.

Nos uerò, cum diligentißimè sensu ipso omnes has sententias fuerimus perscrutati, deuenimus in opinionem Falloppii, adnotauimus tamen adesse materiam gipseam, eo quia sensui patet, & quod. sal aliis prædominetur hic bonus quidam uir Chirurgus multa nobis narrauit. Inter cætera, incredibile factum quoddam retulit: hoc est quod annis elapsis, in quibus annonæ charitas maxima erat, quidam rusticus, ita ab ingenti neceßitate fuit oppressus, ut nudus, et sine aliquo auxilio, aut amico, ad quē in tāta calamitate confugere posset, remanserit. Qui, cum Mense Decembris tum paupertate, tum etiam ingenti frigore se circumseptum, ac obseßum uideret, fame potius, quàm frigore emori, sibi in

animum induxit. Quamobrem in Balneum ægrotorum ingressus est, in quo die, noctuq; ab initio Mensis Decembris usq; ad mensem Iulij remansit; licet non defuerint per hoc tempus quamplurimi, qui ei, & uestes, & pecuniam obtulerint, si exiret. Nam cùm ipse uellet balneum erumpere, maximis doloribus excruciabatur, ita ut se mori clamaret. Dormiebat in balneo, bibebat ex ea aqua, panem in eadem madefactum comedebat, & cætera omnia necessaria faciebat. Tandem mense Iulij, cum maximi æstus extarent, incepit pedetentim erumpere, & demum omnino euasit, & sanus sicuti alij omnino remansit.

De quodam alio quoque retulit, qui per quatuor menses pariter in eodem balneo commoratus est. Aliud etiam pro certo asseruit, aquam tegulæ ibi esse, neque alio in loco reperiri, & nos deduxit Septemtrionem uersus, ubi per riuulum quendam fluente eadem aqua Aponitana, impostores isti imposuerunt tegulam, quæ ob continuũ aquæ cursum omnino gipso obtegit, ut uideatur gipsea, adeo ut si quis ignarus, qui aquam tegulæ ex consilio medici sit potaturus, illuc accedat, exhibent isti aquam aponitanam.

Hæc uolui animaduertere ad salutem omniũ ægrotantium, & etiam ut Excellentissimi Medici animaduersi sint, ne ad Aponum ægrotantes aqua tegulæ egentes mittant, sed ad Diuum Pe-

trum; alioquin illorum malum consilium, erit consultori pessimum.

Mons Orthonus ab Aponensi Balneo distat 150. passus, occidentem uersus. Vbi riuulus tepẽtis aquæ, ac parum salsæ reperitur. & hec Virginis aqua cognominatur. Ex alia parte, occidẽtem uersus, est scaturigo aquæ feruentissimæ, & non longè procul est Balneum manu factum, quo Monaci utuntur. In Lacuna autem illa, ubi feruens aqua scatet, est cœnum argillosum, & pingue; & non longè procul sunt duo laconica medicatis, ac tepidis uaporibus repleta, quæ Stuphæ nuncupantur.

Prima aqua Virginis est temperata, quia modica salsedo attemperat frigiditatem, & humiditatem aquæ. Iccirco utimur illa in potu tantũ, ut attemperemus iecoris, uentriculi, cæterarũq; corporis partium feruorem. Secunda illa aqua feruentissima, Montagnanæ sententia, sulphurea est, salsa, ac pinguis, & huiusmodi pinguedinẽ, Falloppius arbitratur bituminosam aliquam materiam esse. Sauonarola autem salsam esse asserit, & à prædominio aluminosam. Falloppius uerò noster negat aluminosam esse. Concedit tamen salsam esse, & pauciores uapores sulphureos continere, quàm Aponensis illa. Et dicit, quòd oleaginosum illud supernatans, consequitur potius putredinem illius aquæ, quàm continea-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

tur in illo Balneo. Nos autem ex communi cõsensu statuimus hanc aquam esse salsam, & sulphuream, & argillosam; & quòd illa oleaginositas non sit ex bitumine, neque ex putredine aquæ, sed ex argilla, quæ in Balneo oculis ipsis cõspici potest; non ex putredine aquæ, quia continuo fluit, nec ibi commoratur tandiu, & ut putredinem contrahere possit, non ex bitumine, odor enim bituminosus minimè sentitur. Huius aquæ usus olim fuit ad neruos, & articulos sanandos à dolore, & duritie, nunc autẽ eius usus est tantum ad abluendas partes lutatas. Lutum uerò argillosum, & pingue existit, habetq; salsedinem, & aliquantulum uaporis sulphurei, & ideo ratione horum uim habet siccandi, digerendi, roborandi, & aliqualem uim astringẽdi, emolliendi autem uim obtinet paruam, quam cõsequitur ab ipsa argilla.

Aqua uerò Balnei manufacti est eadem cum illa, qua de iam diximus. nam neque sapore, neque odore, neque tactu ab ea dissentit. Monaci hac utuntur pro ablutione, deliciosè tamen, ut ipsi nobis retulerunt.

A Balneo Montis Orthoni distat Balneum Diui Petri, duo milliaria, & prope hoc, ex meridionali parte, collis est amænissimus. in cuius parte Patauium respiciente, sunt scaturigines feruentissimarũ aquarum, quæ per riuulum in lacunam

rotundam declinant, ubi ſunt gradus amphithea tri. Et hoc Balneum remanet ſtatim poſt Templum Diui Petri; iccirco appellatur Balneum Diui Petri, quod non eſt marmoreum, ſicuti Falloppius aſſeruit. In altera uerò parte, quæ meridiem, ac occidentem uerſus reſpicit, ſunt plures limpidisſimi fontes, in caliditate tamen uarij, ſicuti & in alijs qualitatibus. Materia huius Balnei lati, & rotundi, ex Sauonarolæ ſententia, eſt alumen, & ſal. Montagnana uerò cenſuit contineri aes, & alumen, ſed in fontibus quæ ſcaturiunt Meridiem, & Occidentem uerſus ſtatuit eſſe ſal, & alumen. Falloppius uerò ſtatuit aquas omnes Diui Petri ſalſas quidem eſſe, non ita tamen ſalſedine potentes, ut illæ Aponenſes ſunt. Dixit etiam nullum aluminis ueſtigium obſeruari, neque ullum æris apparere ſignum. attamen aquas, quæ Meridiem, Occidentemq; reſpiciunt, alias tophaceam materiam habere affirmabat, aliàs, argilloſam a, præſeferentem calcem, & parum aut nihil uaporis ſulphurei.

Nos uerò, cùm ſumma cura conſpexerimus omnes aquarum ſcaturigines Diui Petri, prout ſenſu, diſcurſuq; conſequi potuimus, ſalſas omnes ſtatuimus eſſe. Sed aquas primi fontis, eius ſcilicet, qui ſtatim poſt Diui Petri templum exiſtit, præter ſalſedinem, aliquid aluminoſi habere unicuique noſtrum uiſum eſt; nec omnino carere ali

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

qualibus sulphureis uaporibus, nullum tamen aris uestigium adesse censuimus. Alumen adesse nobis innotescebat, & quia adest parum unctuositatis, & etiam odor aluminis existat. Quòd autem uapores sulphurei adsint, in parua tamen quantitate, id nobis ostenditur; nam ubi aqua ebullit, ibi odore satis manifestè sulphurei uapores sentiuntur. Sed postquam aqua per canales in lacunam illam rotundam peruenit, iam odorem sulphureũ dimisit. ob nimiam enim paucitatem, dum à scaturigine ad lacunam fluit aqua, uapores euanescunt. Vtimur autem hac aqua ad potum, & infusionem. Sed quia mihi relatum fuerat à uiro Doctißimo. D. Alexandro Baßiano, quod Excellentißimus Frizimelica alias asseruisset, aquam quam appellabat de la lastra, scaturire in lacuna illa magna, iam dicta, ego una cum aliis diligentißimè indigans an aliqua aqua ex parte huius Lacunæ scaturiret, nunquã potui id obseruare. Ideo in hoc hallucinari Baßianũ arbitrati fuimus, maximè cum Exc. Bellacatus, cui hæc Baßiani uerba retuleram, se nunquam ex Frizimelica talia audiuisse mihi asseruerat, quocum tamen semper fuit dũ Balnea inuisebat. quare talem aquã aliò quærendã esse nobis uisũ est. Quã obrem, cum percontati fuerimus eos, qui Balneis præsunt, ubi nam esset aqua, tum lastræ, tum etiam tegulæ, & scaturigines illas, quæ meridiem, & occasum respiciunt, demonstrarunt,

quas cùm millies examinauerimus, & summo quidem studio, nunquam aquam lastræ reperire potuimus, quæ in qualitatibus aquæ de la lastra penitus responderet. Exc. Bellacatus, cum eum circa aquã ipsam de la lastra percõtarer, mihi dixit se una cum Exc. Frizimelica alias aquam quandam quasi frigidam inuenisse, scaturientem ex cõpagine quadam saxorũ, qua usi fuerunt plu ries ad inflammatos renes, ac iecur calidius magno cum successu. sed quorundam culpa, qui dum ibi excauare cupiebant, ut scaturiginis huius aquæ principium inuenirent, aqua illico destitit emergere. Quamobrem cum hæc nõ amplius flueret, quæ ab inuentoribus ipsis clarißimis aqua de la lastra nominabatur: erat enim in radice collis occidentem, ac septentrionem uersus, ubi apparet adhuc quidam aquæductus, in medio cuius erat saxũ planũ et expolitũ, q lastrã nũcuparũt. hac inquam deficiente, accesserunt præclarißimi isti uiri ad aquam, quam nunc de la lastra appellant omnes, & ex sapore, odore, & aliis experimentis eam comprobatã iam amissæ succedere fecerunt, quæ tamẽ parum calidior priori deperdita ipsis uisa est; sicuti nobis quoq; uisum fuit. Aqua igitur succedanea aquæ de la lastra à nobis relicta, inuenimus aquã tegulæ, quæ aliis proximior est loco, ubi lutum effoditur. Hæc aqua non est adeò calida, prout illa, quæ Vrbem respicit, salsedo tamẽ satis insignis gustui apparet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

argilla ubi ſcaturit aqua conſpicitur, unde aqua ſuſcepit aliquam unctuoſitatem. Cæteri uerò fontes, qui Meridiem reſpiciunt, parum differre à primo fonte, nobis uiſum eſt, niſi ſalſedine. Vidẽtur enim aquæ magis ſalſæ, quàm ſuperior. Huiuſce rei inditium eſt herba Alcali, ab Auicenna deſcripta, quæ circum circa ipſos fontes uireſcit; quod tamen circa alios fontes minimè apparet. Lutum autem continetur in aquis, quæ Occidentem uerſus ſcaturiunt, ubi argilla conſpicuè apparet, unde habet uim emolliendi. Adſunt etiam uapores ſulphurei, unde digerit, atque reſoluit. ſal quoque apparet, & ideo adſtringendo corroborat. Non longè procul à foueis ipſius luti, alij uoluerunt alia in ſcaturigine aliud effodere, ſed tale lutum, ab antiquo luto, nobis iudicibus, maximè declinat.

A colle, S. Petri. Oriẽtem uerſus. 4. milliaria, diſtat collis, in cuius parte ad Aquilonem Patauium reſpiciente, ſunt fontes thermales calidiſſimi, (ut referunt omnes) & Lacuna lateribus conſtructa. In altera uerò parte collis, occidentem uerſus, Diui Petri collem ſpectante, ſunt quã plurimi fontes, circa quos, domus à Carrarijs tyrannis conſtructa eſt, quæ domus noua adhuc dicitur. adhũc collem non acceſſimus. Et quia illorum Balneorũ nullus uſus unquã fuit à Carrariis ad hoc uſque tempus, quia ea loca inuia ſunt, non

acceßimus etiam, quoniam audiuimus omnia iam diruta esse, & nullum ferè Balneorum uestigium apparere, ideo iter nostrum ad Montem Aegrotorum direximus.

A Balneo Diui Petri Meridiem uersus, dimidij millarii spatio, distat Mons Aegrotorũ, in quo lacunæ uariæ sunt, quæ aquam colligunt ab uno fonte tantum, in quo multæ scaturigines sunt thermales. Hoc Balneum erat antea omnium nobilißimum, ut ex ruinis conspici potest. Ambiebant fontem aquis scaturientem undequaq; ædes maximo sumptu conditæ, quæ habebant quàm plurima solia, quæ partim Amphitheatri formam, partim quadratam referebant. Erat deinde occidentem uersus Balneum forma quadrangulari conditum, quod adhuc integrum apparet, & equorum Balneum dicebatur. A Mõtagnana aqua hæc Sulphurea conscribitur. Sauonarola autem uult magis aluminosam esse, quam Sulphuream, & dicit aliquid cineris habere. Falloppio autem placuit aquam illã in se multum gipsi habere, nullumq; cinerem, aut calcem præseferre. dicebatq; eos mentiri, qui calcem a cinere distinguunt. Nam calcem à cinere non differre arbitrabatur. Calx.n. nihil aliud est in aquis thermalibus, præterquam illud exustum remanens post exustionem terræ, uel lapidum. cinis autem, est illud, quod remanet post combusta ligna, tamen

in Balneis medicatis exustum illud, & calx, & cinis dici potest. Aqua igitur Montis Grotti, ex sententia Falloppii, gipsum coctum, & aliquid salis, & uapores sulphureos multos in se habet.

Nos in hāc sententiam omnino deuenissemus, nisi nobis apparuisset quædam materia in fonte ipso aquam scaturiente, carnem animalium referens, cui equidem admistum erat gipsum coctum, ideo nos censuimus ibi adesse terram rubeam argillosamq; una cum gipso, sale, & uaporibus sulphureis, unde magnam habet uim exiccandi propter gipsum, sed parum retunditur ab argillosa materia, moderate calefacit, astringit ratione gipsi. Vsus huius Balnei est tantum ad infusionē, Hic non habētur stuphæ, nec foueæ, neque lutum effoditur nunc, quanuis antea in fouea quadam, quæ est Balneum uersus, post ædes illas, quæ non dum sunt destructæ ex toto, effodebatur, quo utebantur in luxatis artubus roborandis, & pluries Exc. Bellacatus usus est, ut mihi ipsemet retulit, satis felici successu.

A Balneo. S. Petri occidētē uersus, distat Balneum. S. Bartholomæi, cuius prope templum fonticulus est, in quem ex uicinis saxis aqua scatens defluit, atque ibi collecta, seruatur ita calida, ut defluxit à feruente etiam saxo ibi subiecto. quod, ut arbitror, etiam feruidum est, quia ibi sunt metalla ardētia, saxis subiecta. nec, nostro iudicio, inficias eundum est, quod in hoc fonte nō scaturiat

aqua,

aqua, quia conſpicuè apparent ebullitiones non nullæ, & ſi id concedere minimè uolunt, fateantur tamen neceſſe eſt, ibi uapores quamplurimos exhalare bituminoſos, & ſulphureos. In hac ualle duo ſunt tractus, qui in longitudine octo paſſus, & quatuor in latitudine ſunt, & his ſupernatat aqua, ſub qua lutum eſt feruentisſimum, nigrum, cœnoſum, ueluti fimus putrefactus, eſtq́; pingue, & bitumen redolens. Aqua ſupernatans, Montagnanæ ſententia, bituminoſa, ſulphureaq́; præſefert. Sauonarola uerò, qui primus lutum hoc cognouit, ad uſumq́; deduxit, materiam luti deſcribens, dixit lutum bituminoſum eſſe, & alumen habere, atque nitrum, & ſal, parumq́; cineris.

Sed opinionem hanc falſam putans Falloppius, ſtatuit lutum hoc in toto orbe celebratum eſſe cœnum, quod colligitur in ea ualle ex corruptione arundinum, & aliarum rerum putreſcibilium, quod ibi concoquitur, & ſibi uim concoquendi, calefaciendi, & ſummopere emolliendi acquirit. Et dicebat, quòd ſaxa luto ſubiecta feruida ſunt, ratione flammæ, quæ fouetur à bitumine ſuppoſito, cuius uapores, & fumi, ſeu ſpiritus tenuiſſimi permeantes ſaxa, reddunt lutum pingue, bituminoſo illo halitu.

Hæc ſententia de luto hoc, quòd fiat ex radicũ arundinum corruptione, & putredine, falſa quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

que Exc. Bellacato apparuit, & nunc maximè ap paret, quandoquidem non amplius lacuna illa, in qua cœnum effoditur, defluentes radices, ac fo lia suscipiat, cùm tellus illa, quæ aquis tecta erat eo tempore, quo Falloppius id uidit, iam sit exic cata, nec amplius constitui posse à profluuio earũ aquarum, sed ibi scaturire omnino uidetur sensui; & nisi ibi scateret hac tempestate, qua non de-fluunt aquæ illæ, aqua non adesset in lacuna. pari ter nec alijs temporibus, quãdo æstas sicca erat, aqua illa in lacuna collecta defuisset. quare nos censuimus proculdubio lutum, aquasq; à prædo-minio bituminosas esse. hoc enim unicuique, qui optimis fruatur sensibus, lucidissimè præsefert. Quòd autem aliquid aluminis, & nitri, & parũ salsi habeat, id non tam facilè percipi potest. Attamen, nos, postquàm in olfaciendo, degustan do, uidendoq; tum aquam, tum etiam lutum exa minauimus, censuimus adesse & parum nitri, & etiam salis, neque potuimus aquam frigidam re perire, quæ in lacunam, ex qua effoditur cœnum, descendat. inuenimus equidem fontem aqua fer uentissima scaturientem, ex quo aqua illa fluit in lacunam iam dictam, redolentem bitumen, & parum nitri, ac etiam salis. Quod autem in la-cunis postea non sint saxa, per quæ permeent ua pores bituminosi, necnon & nitrosi, salsiq;, id non negamus, neque inficias imus lutum hoc ex

putrefactione (si putredo fieri potest in materia ardenti) suscipere non possit aliquam uim emolliendi, & concoquendi, præter illam, quam habet à bitumine. Vsus ipsius luti est, ut diximus, ad emolliendum, concoquendum, ac calefaciendum, nulli in emolliendo potest æquiparari cæno, in agro Patauino existente. Vsus uerò aquarum est tantum ad abluendas partes luto oblinitas. Hîc non sunt foueæ, stuphæ, solia, aut stillicidia. A Balneo. S. Bartholomæi, duorum mill. spatio, distat Balneum. S. Helenæ, ubi collis est, in quo fontes plurimi aquæ feruentissimæ scatēt. In hoc autem colle habemus stuphas, stillicidia gemina, fontem, & subinde solium, in quod corpora infunduntur, & lutum denique.

Montagnana Balneum illud, quo utimur ad sessionem, uoluit esse à prædominio sulphureum, habens tamen aliquid cineris. Sauonarola uerò uult aquam illam à prædominio aluminosam esse. Fatetur tamen illam habere cinerem, nitrum, & sulphur, atque aliquid salis, & propterea dicit exiccare aquam hanc, ut illa Aponensis. Hæc autem sententia erronea, & insulsa Falloppio uidetur, qui uult aquam hanc esse mitem, & minorem salsedinem habere, quàm Aponensis. Asseruit tamen habere uapores sulphureos, copiosos. Verum enim uerò non tantam uim calefaciendi, & exiccandi, ut Aponensis habere uo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

luit. Lutum, omnes statuerunt non ita cænosum, ut illud Sancti Bartholomæi, nec ita argillosum, ut illud Montis Orthoni, sed medium esse, unde utriusque facultatis particeps est, nam emollit, resoluit, exiccat, & roborat. Nos uerò circa materiam harum aquarum, huius sumus sententiæ, q̃ à prædominio salsæ sint, & aluminis aliquam partem habeant, uapores quoque sulphurei adsint. Quod autẽ à prædominio salsa sit hæc aqua, id nobis sal ostẽdit, quod ibi optimum efflorescit. Alumen, & uapores sulphurei facilè odore, ac gustu persentiuntur, non tamen in tanta quantitate, prout in Aponensi Balneo. Idcirco arbitramur aquas illas tantam habere uim exiccandi, ut Aponenses, resoluendi autem non. Lutum, cũ adsit aliqua materia argillosa, censuimus habere aliquam uim emolliendi, præter uim, quam habet roborandi, resoluendi, & siccandi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

DE CAVSIS QVALITATVM, QVAE BALNEIS INSVNT, COMPENDIOLVM.



CVM de Balneis Agri Patauini compendiosa oratione egerim, operæpretium fore duxi, eademmet breuitate, causas perpetui fluxus, ac qualitatum, quibus aquæ medicatæ inficiuntur, declarare.

Dicendum nempè est de ortu ipsarum, necnon & de caliditatis, ac aliarum qualitatum causa. Perquirendum igitur mihi propono, an aqua balneorum, quæ uel ex saxorum riuis effluit, uel ebullit, aut scaturit ex terris, ex mari per arenulas percoletur in terrarum cauitatibus, an ibi generetur, aut ex imbribus colligatur, uel partim ex mari fluat, partim ibi generetur, & partim etiam ex imbribus colligatur: Nonnulli aquam ex mari manare in cauitatibus terræ asseruerunt, quæ dum per uenas & saxorum fibras, uel terræ cauernas fluit, ita percolatur, quod omni amaritudine expoliatur; simplexq; remanet, ulla absque qualitate aduentitia; quæ deinde ex cauitatibus erumpens, efficit plurimos fontes, ex quorum coniunctione riui,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

flumina, & lacus fiunt, quàm ob perpetuam per colationem aquarum à mari perpetuo quoque fluunt. Opinio hæc mihi arridere non potest, cum uideam aquarum nouam generationem tollere: nec appareat, quomodo montium fontes possint hoc pacto fluere. aquæ enim ui naturæ propriæ deorsum tendunt, hoc tamen modo aquæ sursum fluunt, montes enim maria superant. Alij concernentes huiusce opinionis defectus, asserunt aquas omnes ex imbribus colligi. quam sententiam his rationibus fulcire conantur. Regiones, quæ continuos ferè habent imbres, ut sunt Aquilonem, uel Austrum respicientes, plurimis fontibus, riuis, fluminibus, ac lacubus abundare uidẽtur, & perpetuò absque aliqua diminutione. At in locis, ubi imbres raro ac in parua quantitate fiunt, & solis ardore torrentur omnia, pauci ac exigui conspiciuntur fontes. Quamobrem (ut dicunt isti) censendum proculdubio est aquas scaturientes ex imbribus colligi. Nam si ex mari per percolationem aquæ fluerent, aut in cauitatibus terræ gignerentur, nullum discrimen inter regiones esset circa fontes, aut flumina. & hi perpetuitatem fluxionis aquarum seruant. dicunt enim ꝙ hyeme tanta colligitur aqua, ut minimè prius tota fluat, quam alio uerno per niues & pluuias impleantur cauitates. et si aliqui fontes arescerent, huius rei causas esse receptacula

parum ampla, & foramina nimium lata. His cō cedi potest regiones calidissimas ac torridas, pau cioribus fontibus, riuis, & fluminibus redunda re, quam australes septentrionalesq́; : Verum tamen non ob id concedendum est fontes ex im- brium collectione tantum oriri : inde enim seque retur, quòd in regionibus sub zona torrida exi- stentibus nullum esset flumen, cum tamen adsint quam plurima, ut Niger, quod flumen ex Tala monte in priori Libia fluit, ubi ferè nunquam cō spiciuntur nubes, nec imbres fiunt, ibi enim per- petua est æstas : ideo nec in imbres, nec in niues causa fontium ac fluminum remittenda est. præ- terea si solummodo fontes ortum ex imbribus ha berent, non ubicunque quis puteos effodiens a- quam ita copiose reperiret, & quocunque tempo re, ut facit. Postremò ij non assequuntur primor dia generationis ipsius aquæ; nam de ortu im- brium nulla habetur mentio. Alij, cum uiderint neque mare, neque imbres perpetuitatis aqua- rum fluxus causas eße posse, censuerunt aquam intra terram gigni, & hinc fontes oriri. quod pla citum probare nituntur, dum argumentantur cō tra superiorum sententiam. montes quam plurimi dum nullo terræ corio tecti sunt, nullisq́; herbis induti, sed nuda habentes saxa, quæ nullas habēt rimas, imò solida sunt, ut nulli ferè rei aditus ap pareat, magnam tamen aquarum copiam prædi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

cti montes ex sese emittunt ; quæ cum non ex imbribus colligi possit , debet intra terram gigni , quandoquidem ex mari etiam fluere non possit ; nisi naturæ suæ refragaretur aqua, dum superiora peteret loca , quod tamen minimè dicendum est. Sed, & ij uideant id quod experientia comprobari potest, non solum terram, sed cuiuscunq; generis saxum, per quasdam uenas, fibras, commissurasq́;, quarum aliæ sensum fugiunt , aliæ concernuntur, aquas suscipere posse ; & ꝙ suscipiant, augmentum aquarum in pluuijs , & niuibus etiam fidem facit. Quamobrem cum neutra horum uideatur uera opinio, ad omnium originē fontium assignandam, & nulla insit, quæ aliquā ueritatem non assequatur , omnes insimul ad uniuersalem fontium causam ponendam concurrere arbitror : nonnulli enim fontes ex imbrium collectione, nonnulli ex noua generatione aquarū in cauitatibus terræ, nonnulli ex percolatione aquæ marinæ, nonnulli ex duabus ipsarū causarū, nonnulli ex omnibus his causis gignuntur. & huic sententiæ nullū mihi uidetur sequi absurdum, nec aliquorū deest fontium ortus , ac perpetuitatis causa. Derelicto ortu, ac perpetuitate fluxus aquarum, ad qualitatum, quas aquæ thermales suscipiunt, rationē inuestigandā, accedo. Aqua simplex ac pura nulla prædita est qualitate præterquàm frigiditate, humiditate, perspicuitatē ue, un

de ob admixtionẽ diuerſorum corporũ, ſuſcipere oẽs qualitates dicendũ eſt. Variæ circa caliditatis cauſã fuerunt opiniones. quidã opinati ſunt ſolis radios eße in caliditatis aquarũ cauſa, nonnulli uẽtum, quidam motum, alij calorẽ in terrã incluſum, quidam metalla uel metallicã materiã, per quam aquæ fluunt. ij qui in ſolares radios caliditatis huiuſmodi aquarũ reiecerunt, ſupponebant terrã iuxta fontes aquam calidã ſcaturientes mollẽ & rarã eſſe, & ꝑꝑea facile ſolis radios in cauernarum altitudines ingredi, ibiq; collectas aquas calefacere. ſed hi non ꝓſpexerunt, ꝙ ſi tãtus eſſet ſolis calor, ut feruidã ardentemq; efficere poſſet aquã, ꝙ ẽt tam longo tẽpore ex molli, et rara duram, aridamuę penitus reddidiſſet terrã. præterea quoq; ex ſaxis, aut terra tenaci non ebulliret aqua feruẽtisſima, cũ ob duritiem, ac tenacitatem ibi ſolares radij penetrare nõ posſint. Verũ tamen aquæ Aponenſes ex aſperrimo, ac in ſimul cõpacto ebulliunt gypſo. Huic ſententiæ cõtrariatur ẽt experiẽtia, æſtatis.n.tẽpore, quo ſũt ingẽtisſimi æſtus, aquæ potius frigidiores, quã calidiores exiſtũt, quã tp̃e hyemis, uel ſaltẽ nullũ in his apparet diſcrimẽ, cũ tamẽ ſecũdũ hanc opĩonẽ, æſtate ob rectitudinẽ ac radiorum ſolis morã calidiores eſſe deberent, quam hyeme. Vnde ualeant ij, qui tempore hyemis aquas thermarum nolunt exhibere, exiſtimantes eas brumali tem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

pore aliquid uirtutis acquisitæ dimittere, cũ tamẽ eo tempore perfectiores omnibusq́; in qualitatibus potentiores sint: frigus enim circum ambiẽs non sinit aquas ita difflare, & spiritus exhalare, expiraréue, imò per antiparistasim ignis fortior à frigore redditur, sicuti dicebat Ar. secundo Metheororum. Unde perfectior illius actio redditur, quare ex parte aquarum hyems uidetur magis oportuna, quam aliud tempus. idem ex parte ægrotantis est, quandoquidẽ uirtus sit fortior ad sustinendã tantam aquæ copiam, nec aer frigidus debet hanc aquarum administrationem impedire, cum ad libitum nostrum possit alterari: ideò quotiescunque adest necessitas, & datur occasio aquam exhibendi posse, exhibere quocunque tempore arbitror, alterato aere prout exigit morbus curandus. Modo ut ad rem redeã, cum omnino (ut probaui) secus res se habeat, ac superiores isti dixerunt, ad eorum opinionẽ examinandam uenio, qui dixerunt uentum uehemẽter impulsum, & quodammodo in uisceribus ipsius terræ inclusum, aquam calidam efficere. deuiant & ij (mea quidem sententia) à ueritate. nam, etsi uentus calefacere aquas posset, nequiret tamen ibi tamdiu coerceri, retineriq́;, sed quam primum aquam ex proprijs effundens alueis, insimul euolaret, quem deinde aqua sequeretur frigida: unde nec tantopere, nec tamdiu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

uentus calefacere posset aquam, ut perpetuo ser uaretur feruentissima; quod tamẽ fieri uidetur. Ideo huic opinioni minimè acquiescendum uidetur: nec horum placita mihi arrident. Qui ex motu uario uehementiq; aquas saxis illis à calore affici asserunt plurimũ falluntur. conspiciuntur enim flumina, quæ etsi perpetuo ex decliuibus maximo fluant impetu, frigida cuiq; tangenti tamen semper apparent. Præterea ex nobismetipsis periculum facere possumus. Capiamus aquam in uase aliquo, & lapidibus, uel laminis ferreis optimè concutiamus, ex illo motu nunquam aquam illam incalescere sentiemus, ob id motus non erit aquarum caliditatis in causa. eorum, qui maximè intra terram existente calore, precipue ubi aquæ scaturiunt callidissimæ, aquas calefieri asseruerunt, diuersæ fuerunt sententiæ. quidam dixerunt aquas in cauernis inclusas talem caliditatem suscipere. cæteri existimarunt terras aquis madidas halitus calidissimos emittere, quibus suffusæ aquæ ardentes redduntur. ij (meo quidem iudicio) sicut & cæteri, à scopo aberrare uidentur: nemo enim declarat causam, cur terra sit calida magis in uno loco, quam in alio; deinde etiam non animaduertunt, ꝙ talis terræ calor non adeo potens est, ut tantã caliditatem inducere in aquam possit, dummodo tamen de calore illo innato qui inclusas terras

illas madefactas sensim & per gradus siccat, coquit, & adeo calefacit, ut uarios gignat humores, succos, lapides, & metalla. Accedamus igitur ad postremã sententiã eorum, qui in metalla, succos, & lapides caliditatis causam reiecerunt. hi enim ueritatem assequũtur, cum causam proximam reddant. Dicunt.n. materiã ignitam ꝑ quã aquæ fluunt, eas non solum caliditate illa insigni, sed coloribus, saporibus, ac alijs qualitatibus inficere. & hæc fuit Empedoclis sententia, quã subripuit Georgius Agricola. dissentire tamen profitetur Agricola ab Empedocle. Volebat. n. Empedocles, ꝙ ignita materia subesset canalibus ac fistulis, per quas aquæ transcurrunt, non tamen inficias it, ꝙ canales non sint igniti. Agricolæ uerò hoc uidetur absurdum, ꝙ canales uel uasa illa, quæcunque sint, uel ænea, uel terrea possint tam diuturnum perferre ignis ardorem; ideo dicendum potius eße asserit, ꝙ ignis intra canales in alueo contineatur. Miror Agricolam, uirum alioquin eruditissimum, in Empedoclis sententiã incidere, dum eam impugnare cõtendit. id libenter exposcerem ab Agricola, quid differat an dicatur canales ignitos esse & ardentes, an ignẽ eẽ in canalibus? mihi uidetur quod quotiescunque aliqua res ignita est, ignẽ habeat, modo illa res naturam habeat ignem fouendi, uel aliunde sub-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

ministretur ignis, & id perpetuitati caloris uel eius intentioni detrahere, uel addere mihi non ui detur. Vidimus.n.aquas Aponi calidissimas per canales gypseos fluere ignitos, cum tamẽ, ab alia materia ignem recipiat: gypsum.n.ignis pabulum minimè est. non inficiasimus, ꝙ canales ẽt, per quos aquæ fluunt, non possit ignis fomentum habere, nec ab alio recipere caliditatẽ. Vnde dicendum est, materiã ignitã per quam aquæ fluunt in causa tantæ caliditatis aquarũ esse. an modo quælibet materia apta sit ad perpetuo ignem seruandum, esse perquirendum uidetur. & quonam pacto talis ignis in tali accendatur materia. quidam dixerunt, quòd de accensione minimè quærendum sit, quandoquidem ignis semper fuerit accensus in tali materia. quorum sententiæ acquiescere non possum, cum omnia (ex Philosophorum sententia) quæ sub concauo orbis Lunæ continentur, obnoxia interitui, ac generationi sint. ideo dicendum arbitror, quòd ignis accenditur mediante calcario lapide, qui, ut quisque experiri potest, dum aquis perfunditur, ignem emittit. Vnde si materia aliqua quæ facilè accendatur ibi reperitur, statim igne corripitur, & in ea tamdiu seruatur, quãdiu pabulũ remanet, nec aliqua materia, quæ citius accendatur, & diutius ignẽ fo-

ueat, reperiri potest, quam sulphur, & bitumen. sulphur enim, ut indies experimur, non solum citò accēditur, sed uidetur ignem ad se quasi ex longinquo trahere. Bitumen autem accensum non solum in aquis extinguitur, sed eas, mediante igni, in propriam naturam conuertit, adeo ut nulla sit materia, quæ facilius accendatur, quam sulphur, & quæ diutius ignem seruare possit, quā bitumen; & ob id ij, qui ignes in aquis inextinguibiles parat, compositionibus semper bitumen admiscent, uel saltem ea quæ bitumine constant: quamobrem in aquis omnibus thermalibus reperiri calcarium lapidem, sulphur, & bitumen necesse est, licet non appareant horū qualitates ob quātitatē aliarum materierū, quæ ijs prædominantur adsunt deinde alij succi, lapides diuersi, ac metalla, quæ excalfacta, nec non & ab aquis corrosa, eas qualitatibus, proprijs inficiūt. & hinc actionum, saporum, odorumq; in aquis diuersitas oritur, ut in proprio tractatu asseritur afficiuntur igitur. (ut dixi) aquæ hæ thermales uarijs qualitatibus à materijs, per quas fluunt. imprimis ea ratione, quam superius exposui, omnes aquæ caliditatem suscipiunt: siccitate & cæteris qualitatibus pariter à materijs, quas aquæ corrodunt, afficiuntur. ad primas qualitates sequuntur postea secundæ, & tertiæ ita nuncupatæ, ut est uis emolliendi, digerendi, abstergendi,


corroborandi, & consimiles uirtutes, quæ ĩ aquis his reperiuntur, quæ licet experientia uerè dignoscantur; ire inficias tamen minimè debemus, ipsas alicui innotescere non posse, licet nunquam aquas fuerit compertus, dum tamen materiam aquarum agnoscat, necnon, & illius materiæ uires. Materiæ hæ sunt (ut iam diximus) uel terræ aliquod genus, uel succorum, uel lapidum, uel etiam metallorum. quæ materiæ, uel ab aquis fluentibus corroduntur, uel per aquas emittunt uapores, aut exhalationes, per quas aquæ inficiuntur qualitatibus, ac proprietatibus earum. unaquæq; materierum species, præter proprias actiones, prædita quoque est proprio colore, sapore, odore, necnon & tactilibus qualitatibus, ut duritie, mollitie, raritate, densitate, & proprio pondere. ideo ab his qualitatibus, quæ sub sensibus cadũt, manu ducimur ad materias ipsas cognoscendas. quibus perspectis, & illarum uirtutibus perpensis, aquarum ab ipsis infectarum uirtutes cognoscimus. Possem ego multis experimentis uirtutes harum aquarum à nobis descriptas comprobare, quæ ipse perspexi. dum per triennium cum Exc. Bellacato praxim ea cura, qua potui diligenti, Patauij facerem: sed Compendiolum hoc proprios exiret cancellos. quamobrem experimẽta silentio inuoluam, sicuti & multa alia, quæ fortasse circa has aquas desiderari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

possent, consulto præterii. quæ omnia deinde cum maiori ocio dabitur frui (annuẽtibus Diis) longiori oratione tractabuntur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4450/A